non difficile erit, noſtra qualicumque opera vel collectis, vel & inventis, plura melioraque addere; quibus nos eam quidem gloriam adeo non invidebimus, uti DEO potius pro augmento utiliſſimæ ſcientiæ gratias acturi, clarisque auctoribus, queis ille velut inſtrumentis utetur, propenſo hilarique animo ſimus gratulaturi. In quam ſpem eo magis erigimur, quo commodior in hunc finem Pufendorfii libellus eſt; ſi molem, exiguus: at, ſi ordinatiſſimam rerum practicarum prope omnium compagem, infinitorumque conceptuum nexum ſpectes, verè magnus, immo, dixerim fere, inexhauſtus. Quod non inficiabitur, qui poſt lectos non ſine contentione Ciceriones, Gentiles, Grotios, & in hos Commentatores, Annotatores, Obſervatores, ipſumque Pufendorfii Opus de Jure Naturæ & Gentium, ad hoc opuſculum de Officio denuò regreſſus attentè id repetit, atque, ceu par eſt, velut illorum omnium Compendium, &, quod pauci capiunt, admirabile Supplementum evolvit. Cæterum, ſi, quæ privatim quoque ad Auctorem prælegimus, divulgare animus fuiſſet: in vaſtam nimis molem opus excreviſſet. Sed Commentarium ſcribere non intendimus: qualem quidem, cœpto jam labore noſtro, à Clariſſimo Titio editum vidimus, atque ab Immanuele Webero, celebri apud Giſſenſes Profeſſore inchoatum. Nos, qui domeſticis duntaxat inſtitutionibus opellam hanc conſecraveramus, inſtituti rationem habuimus, & ſingula *ſignanda* magis duximus, *quam copioſe*